


# LITURGIA HORARUM

IN CANTU GREGORIANO



SABBATO SANCTO




## AD LAUDES MATUTINAS



**D** E-us, ✠ in adiu-tó-ri- um me- um inténde. ʀ. Dómi-  
ne, ad adiuvándum me festí-na. Gló-ri- a Patri, et Fí- li- o,  
et Spi-rí-tu- i Sancto. Si-cut e-rat in princí-pi- o, et nunc,  
et semper, et in sǎcu-la sǎcu-ló-rum. A-men.

### Hymnus



VIII  
**T** I-bi, Redémptor ómni- um, hymnum de-fléntes cá-  
nimus; ignósce no-bis, Dómi-ne, ignósce confi-ténti-bus.

2. Qui vires hostis véteris  
per crucem mortis cónteris,  
qua nos vexíllum fídei,  
fronte signáti, férimus,

3. Illum a nobis iúgiter  
repéllere dignáveris,  
ne possit umquam lǎdere  
redémptos tuo sǎngvine.

4. Qui propter nos ad íferos  
descéndere dignátus es,  
ut mortis debitóribus  
vitæ donáres múnera,

5. Tu es qui certo témpore  
datúrus finem sæculo,  
iustus cunctórum mérita  
remunerátor státues.

6. Te ergo, Christe, quæsumus,  
ut nostra cures vúlnera,  
qui es cum Patre et Spíritu  
laudándus in perpétuum. Amen.

### Psalmodia

II\* a

**P** Langent e- um \* qua-si u-ni-gé-ni-tum, qui- a ín-  
no-cens Dómi-nus occí-sus est. E u o u a e.

### PSALMUS 63

Contra hostes oratio

*Maxime Domine passio commendatur in hoc psalmo (S. Augustinus).*

Exáudi, Deus, vocem meam in meditatióne mea ; \*  
a timóre inimíci custódi ánimam meam.

Prótege me a convéntu malignántium, \*  
a multitudíne operántium iniquitátem.

Qui exacuérunt ut gládium linguas suas, †  
intendérunt sagíttas suas, venéfica verba \*  
ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum et non timébunt, \*  
firmavérunt sibi consílium nequam.

Disputavérunt, ut absconderent láqueos, \*  
dixerunt: «Quis vidébit eos ?».

Excogitavérunt iníqua, †  
perfecérunt excogitáta consília. \*  
Interióra hóminis et cor eius abyíssus.

Et sagittávit illos Deus; †  
súbito factæ sunt plagæ eórum, \*  
et infirmávit eos lingua eórum.

Caput movébunt omnes, qui vidébunt eos, \*  
et timébit omnis homo ;

et annuntiábunt ópera Dei \*  
et facta eius intéllegent.

Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo, \*  
et gloriabúntur omnes recti corde.

II d

A porta ínfe-ri \* é-ru- e Dómi-ne á-nimam

me- am. E u o u a e.

CANTICUM

*Is 38, 10-14.17-20*

Moribundi angores, sanati lætitia

*Ego sum vivens et fui mortuus... et habeo claves mortis (Ap 1, 17-18).*

Ego dixi: In dimídio diérum meórum †  
vadam ad portas ínferi ; \*  
quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium, †  
non aspíciam hóminem ultra \*  
inter habitatóres orbis.

Habitáculum meum ablátum est et abdúctum longe a me \*  
quasi tabernáculum pastórum ;  
convólvit sicut textor vitam meam ; \*  
de stámine succídít me.

De mane usque ad vésperam \*  
confecísti me.

Prostrátus sum usque ad mane, \*  
quasi leo sic cónterit ómnia ossa mea ;  
de mane usque ad vésperam \*  
confecísti me.

Sicut pullus hirúndinis, sic mussitábo, \*  
meditábor ut colúmba ;  
attenuáti sunt óculi mei \*  
suspiciéntes in excélsu.

Tu autem eruísti ánimam meam \*  
a fóvea consumptiónis,  
proiecísti enim post tergum tuum \*  
ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, \*  
neque mors laudábit te ;  
non exspectábunt, qui descéndunt in lacum, \*  
veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie ; \*  
pater fíliis notam fáciét veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, †  
et ad sonum cítharæ cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ \*  
in domo Dómini.

VII a

**D**UM tri-bu-lá-rer, \* clamá-vi ad Dómi-num de  
 ventre ínfe-ri, et exaudí-vit me. E u o u a e.

**PSALMUS 150**

Laudate Dominum

*Psallite spiritu, psallite et mente, hoc est : glorificate Deum et anima et corpore vestro (Hesychius).*

Laudáte Dóminum in sanctuário eius, \*  
 laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in magnálibus eius, \*  
 laudáte eum secúndum multitudínem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ, \*  
 laudáte eum in psaltério et cíthara,

laudáte eum in týmpano et choro, \*  
 laudáte eum in chordis et órgano,

laudáte eum in cýmbalis benesonántibus, †  
 laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis : \*  
 omne quod spirat, laudet Dóminum.


**Lectio brevis**

*Os 5, 15d-6, 2*


Hæc dicit Dóminus: In tribulatióne sua me desíderent. Veníte, et revertámur ad Dóminum, quia ipse lacerávit et sanábit nos, percússit et curábit nos. Vivificábit nos post duos dies, in die tértia suscitábit nos, et vivémus in conspéctu eius.

## Responsorium breve

v



**C** Hri-stus \* factus est pro no-bis obcé-  
di-ens us-que ad mor-tem, mor-tem au-tem  
cru-cis. Propter quod et De-us  
ex-alta-vit il-lum,  
et de-dit il-li no-men, quod est  
super omne no-men.



## Benedictus


VII a



**S** Alvá-tor mundi, \* salva nos, qui per cru-cem et  
sángui-nem rede-mís-ti nos; auxi-li-á-re no-bis, te de-







pre-cámur, De-us noster. E u o u a e.

CANTICUM EVANGELIUM

*Lc 1, 68-79*

De Messia eiusque præcursore

Benedíctus ✠ Dóminus Deus Israel, \*  
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ  
et eréxit cornu salútis nobis \*  
in domo David púeri sui,  
sicut locútus est per os sanctórum, \*  
qui a sæculo sunt, prophetárum eius,  
salútem ex inimícis nostris \*  
et de manu ómnium, qui odérunt nos;  
ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris \*  
et memorári testaménti sui sancti,  
iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, \*  
datúrum se nobis,  
ut sine timóre, de manu inimicórum liberáti, \*  
serviámus illi  
in sanctitáte et iustítia coram ipso \*  
ómnibus diébus nostris.  
Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: \*  
præibis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius,  
ad dandam sciéntiam salútis plebi eius \*  
in remissionem peccatórum eórum,  
per víscera misericórdiæ Dei nostri, \*  
in quibus visitábit nos óriens ex alto,  
illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent \*  
ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

## Preces

Redemptórem nostrum, qui pro nobis passus et sepúltus est, ut resúrgeret, sincéra pietáte adorémus eúmque súpplīces implorémus:

*Miserére nostri, Dómine.*

Christe salvátor, mæréntem Matrem tuam cruci et sepultúræ tibi próxime astáre voluísti: — ita nos in afflictiónibus nostris fac passiónis tuæ partícipes.

Christe Dómine, sicut granum in terram cadens, divínæ vitæ nobis fructum attulísti: — fac ut, peccáto mórtui, Deo vivámus.

Pastor noster, iacens sepúltus, ómnibus absconditus permansísti: — vitam nostram tecum in Patre absconditam amáre nos doce.

Novus Adam, in regnum mortuórum descendísti, ut de mortis cárcere iustos ab orígine mundi ibi deténtos liberáres: — fac ut omnes, in sepúlcro scélerum iacéntes, áudiant vocem tuam et vivant.

Christe, Fili Dei vivi, nos tecum per baptísmum consepelíri tribuísti: — fac ut, resurrectioni tuæ configuráti, in novitáte vitæ ambulémus.


**P** A-ter noster, qui es in cæ-lis, sancti-fi-cé-tur no-  
men tu-um; advé-ni- at regnum tu-um; fi- at vo-lúntas  
tu- a, sic-ut in cæ-lo, et in terra. Panem nostrum



co-ti-di-ánum da no-bis hó-di-e; et dimít-te no-bis dé-  
 bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ri-bus nos-  
 tris; et ne nos indú-cas in tenta-ti-ó-nem, sed lí-be-ra  
 nos a ma-lo.

### Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, cuius Unigénitus ad inferióra terræ descéndit, unde et gloriósus ascéndit, concéde propítius, ut fidéles tui, cum eo consepúliti in baptísimate, ipso resurgénte, ad vitam proficiant sempitérnam. Qui tecum.



**D**ómi-nus vo-bíscum. *℞* Et cum spí-ri-tu tu-o.  
 Be-ne-dí-cat vos omní-po-tens De-us, Pa-ter, et Fí-li-us,  
 et Spí-ri-tus Sanctus. *℞* Amen.



**I** - te, in pa-ce. ꝛ. De-o grá-ti- as.


## AD VESPERAS



**D** E-us, ✠ in adiu-tó-ri-um me-um inténde. ʀ. Dómi-  
ne, ad adiuvándum me festí-na. Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o,  
et Spi-rí-tu-i Sancto. Si-cut e-rat in princí-pi-o, et nunc,  
et semper, et in sǽcu-la sǽcu-ló-rum. A-men.

Hymnus

VIII



**A** Uctor sa-lú-tis ú-ni-ce, mundi redémptor íncli-te,  
rex, Christe, no-bis ánnu-e cru-cis fe-cúndæ gló-ri-am.

2. Tu morte mortem díruens  
vitámque vita lárgiens,  
mortis mínístrum súbdolum  
devíceras diábolum.

3. Piis amóris ártibus  
somno sepúlcri tráditus,  
sedes reclúdis ínferi  
patrésque dicis líberos.


4. Nunc in Paréntis d́extera  
sacráta fulgens víctima,  
audi, precámur, vívido  
tuo redémptos ságuine,

5. Quo te diébus ómnibus  
puris sequéntes móribus,  
advérsus omnes ímpetus  
crucis ferámus lábarum.

6. Patri, tibi, Paráclito  
sit æqua, Iesu, glória,  
qui nos crucis victória  
concédis usque pérfrui. Amen.

### Psalmodia

II\* d



O mors, \* e-ro mors tu-a ; morsus tu- us e-  
ro, inférne. E u o u a e.

### PSALMUS 115

Gratiarum actio in templo

*Per ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo (Heb 13, 15).*

Crédidi, étiam cum locútus sum: \*

«Ego humiliátus sum nimis».

Ego dixi in trepidatióne mea: \*

«Omnis homo mendax».

Quid retríbuam Dómino \*


pro ómnibus, quæ retríbuít mihi ?

Cálicem salutáris accípíam \*

et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam \*  
 coram omni pópulo eius.  
 Pretiósá in conspéctu Dómini \*  
 mors sanctorum eius.  
 O Dómine, ego servus tuus, \*  
 ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.  
 Dirupísti víncula mea : †  
 tibi sacrificábo hóstiam laudis \*  
 et nomen Dómini invocábo.  
 Vota mea Dómino reddam \*  
 coram omni pópulo eius,  
 in átriis domus Dómini, \*  
 in médio tui, Ierúsalem.

II\* a



S Ic-ut fu- it Ionas \* in ventre ce-ti tri-bus di-é-  
 bus et tri-bus nocti-bus, i- ta e- rit Fí-li- us hó-mi-nis  
 in cor-de terræ. E u o u a e.

PSALMUS 142

In angustiis oratio

*Non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi (Gal 2, 16).*

Dómine, exáudi orationem meam, †  
 áuribus pèrcipe obsecrationem meam in veritate tua ; \*  
 exáudi me in tua iustítia.

Et non intres in iudícium cum servo tuo, \*  
quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.  
Quia persecútus est inimícus ánimam meam, †  
contrívit in terra vitam meam, \*  
collocávit me in obscurís sicut mórtuos a sæculo.  
Et ansiátus est in me spíritus meus, \*  
in médio mei obríguit cor meum.  
Memor fui diérum antiquórum, †  
meditátus sum in ómnibus opéribus tuis, \*  
in factis mánuum tuárum recogitábam.  
Expándi manus meas ad te, \*  
ánima mea sicut terra sine aqua tibi.  
Velóciter exáudi me, Dómine ; \*  
defécit spíritus meus.  
Non abscondas fáciem tuam a me, \*  
ne símilis fiam descendéntibus in lacum.  
Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam, \*  
quia in te sperávi.  
Notam fac mihi viam, in qua ámbulem, \*  
quia ad te levávi ánimam meam.  
Eripe me de inimícis meis, \*  
Dómine, ad te confúgi.  
Doce me fácere voluntátem tuam, \*  
quia Deus meus es tu.  
Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam ; \*  
propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.  
In iustítia tua \*  
edúces de tribulatióne ánimam meam.



v a

**S** Olvi-te templum hoc, \* di-cit Dómi-nus, et post  
tri-du-um re-æ-di-fi-cábo il-lud. Hoc autem di-cé-bat  
de templo córpo-ris su- i. E u o u a e.

CANTICUM

*Phil 2, 6-11*

De Christo, servo Dei

Christus Iesus, cum in forma Dei esset, \*  
non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo,  
sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, †  
in similitúdinem hóminum factus ; \*  
et hábitu invéntus ut homo,  
humiliávit semetípsum †  
factus obædiens usque ad mortem, \*  
mortem autem crucis.  
Propter quod et Deus illum exaltávit †  
et donávit illi nomen, \*  
quod est super omne nomen,  
ut in nómine Iesu omne genu flectátur \*  
cæléstium et terréstrium et infernórum  
et omnis lingua confiteátur : \*  
«Dóminus Iesus Christus !», in glóriam Dei Patris.


## Lectio brevis

*1 Petr 1, 18-21*


Scitote quod non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione a patribus tradita, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi, praecogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deum, qui suscitavit eum a mortuis et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deum.

### Responsorium breve


v




**C** Hri-stus \* factus est pro no-bis obce-




di-ens us-que ad mor-tem, mor-tem au-tem




cru-cis. Propter quod et De-us



ex-alta-vit il-lum,




et de-dit il-li no-men, quod est



super omne no-men.

## Magnificat

VII a



**C** Lari- fi- cá- tus est \* Fí- li- us hómi- nis, et De- us  
cla- ri- fi- cá- tus est in e- o. E u o u a e.

CANTICUM EVANGELIUM

*Lc 1, 46-55*

Exsultatio animæ in Domino

Magníficat ✠ \*

ánima mea Dóminum,  
et exsultávit spíritus meus \*  
in Deo salvatóre meo,  
quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. \*  
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,  
quia fecit mihi magna, qui potens est, \*  
et sanctum nomen eius,  
et misericórdia eius in progénies et progénies \*  
timéntibus eum.  
Fecit poténtiam in bráchio suo, \*  
dispérsit supérbos mente cordis sui ;  
depósuit poténtes de sede \*  
et exaltávit húmiles ;  
esuriéntes implévit bonis \*  
et dívites dimísit inánes.  
Suscépit Israel púerum suum, \*  
recordátus misericórdiæ,

sicut locutus est ad patres nostros, \*  
Abraham et sémini eius in sæcula.

### Preces

Redemptórem nostrum, qui pro nobis passus et sepúltus est,  
ut resúrgeret, sincéra pietáte adorémus eúmque súpplīces  
implorémus:

*Miserére nostri, Dómine.*

Dómine Iesu, de látere tuo, láncea transfixo, sáanguinem et aquam  
effudísti, totíus Ecclésiæ mirábile sacraméntum: — per mortem,  
sepultúram et resurrectionem Sponsam tuam vivífica.

Dómine Iesu, eórum meminísti qui resurrectionis tuæ  
promissíones erant oblíti: — meménto eórum, qui  
resurrectionem tuam ignórant et sine spe vivunt.

Agnus Dei, pascha nostrum pro ómnibus immolátus es: — ad te  
trahe hómīnes cunctos.

Deus mundi univérsi, tu qui omnes fines inclúdis et inclúdi in  
sepultúra voluísti, — líbera humánū genus ab inférno eíque  
immortalitátem glóriæ dona.

Christe, Fili Dei vivi, qui e cruce latróni paradísū aperuísti,  
— defúctos, in morte et sepultúra tibi assimilátos, tuæ  
resurrectioni in glória consócia.


**P** A-ter noster, qui es in cæ-lis, sancti-fi-cé-tur no-  
men tu-um ; advé-ni- at regnum tu-um ; fi- at vo-lúntas

tu-a, sic-ut in cæ-lo, et in terra. Panem nostrum  
 co-ti-di-ánum da no-bis hó-di-e; et dimít-te no-bis dé-  
 bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ri-bus nos-  
 tris; et ne nos indú-cas in tenta-ti-ó-nem, sed lí-be-ra  
 nos a ma-lo.

### Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, cuius Unigénitus ad inferióra terræ descéndit, unde et gloriósus ascéndit, concéde propítius, ut fideles tui, cum eo consepúlti in baptísmate, ipso resurgénte, ad vitam proficiant sempitérnam. Qui tecum.

**D**ómi-nus vo-bíscum. ⁊. Et cum spí-ri-tu tu-o.  
 Be-ne-dí-cat vos omní-po-tens De-us, Pa-ter, et Fí-li-us,



et Spí-ri-tus Sanctus. ⁊. Amen.



**I** - te, in pa-ce. ⁊. De-o grá-ti-as.